

36a



POSITIONES  
MISCELLANÆ,

QUAS

D. T. O. M. E. A.

Authoritate & permisso ve-  
nerandi Philosophorum

Collegij

In inclyta Francofurtana

PRÆSIDE

M. DANIELE

Stahlio, Franco, Facultatis Phi-  
losophicæ in Illustri Salana

Adjuncto,

27. Novemb.

Publico Examine

subjicit

DANIEL BURCHARDUS

Magdeburg.

Francofurti ad Oderam.

ANNO

M. DC. XIX.

Literis

HARTMANNIANIS.

1619



19



Viris

*Nobilissimis atque strenuis, Dnn.*

**BERNHARDO ZACHARIÆ,**

ab Arnimb, &c.

**DN. LVDOLPHO à Berdern/etc,**

Susceptoribus & Mecœnatibus suis atatem

honorandis,

Ut &

*Præstantissimis atque Politissimis Viris*

**Dn.** { Martino Johanni Alemanno, }  
          { Johanni Martino Alemanno, } Fratrib, Germ.  
          { Matthiæ Lutterodio, }  
          { Johanni Drehnio, }  
          { Johanni Cameradio. }


*Affinibus, popularibus, ac Fautoribus*  
*suis semper observandis.*

Offert & dedicat

**Daniel Burchardi**  
Magdberg.

# Positiones miscellanæ.

## I.



Ommunis Metaphysicorum sententia est, Nihil & Non ens esse Synonyma. Eam falsam esse censemus. Poeta propositio est: Nihil est ab omni parte beatum. Si Nihil idem significat quod Non ens, absurdissimus sensus hic erit. Non ens est ab omni parte beatum. Dicimus autem nos, Nihil idem esse

quod Nullum ens. Hinc etiam Aliquid & Ens Synonyma non sunt. Quorum enim opposita sunt distincta illa ipsa distinguuntur. Aliquid nobis idem significat quod aliquod ens.

## II.

Rationem formalem Unius non in positivo, sed in negatione, quæ quidem Indivisio vocatur, consistere statuimus cum Thoma eiusque discipulis, contra Scotum, Bonavent. & Varquetz.

## III.

Vulgatum illud: Dici de aliquo requirit inesse, non est universaliter verum. Dicuntur enim res intellecta, visa, &c. quibus tamen neque intellectio, neque visio inest. Hujusmodi denominationes propterea rectè dicuntur extrinsecæ.

## IV.

Ita neque hoc: Quicquid est, per suam formam est. De-



us enim est, qui tamen per suam formam non est. Quod si dicas valere nihilominus in uniuersum de rebus finitis, etiam hoc nego, quia forma est, neque tamen per suam formam est. Sic & materia prima est, sed non per suam formam. Non enim habet formam.

V.

Similiter & hoc tritissimum quidem est, sed non absolute verum: Quidquid habet formam habet etiam materiam. Materia prima enim habet formam, & tamen non habet materiam.

VI.

Recte statuitur, bonum aliud verum esse, aliud appa-rens, sed de ipsa bonitate alia est ratio. Eam etiam Timplerus lib. 2. Metaph. dividit in veram & apparentem. Sed male.

VII.

Male quidam statuunt, nihil dici de toto, quod idem de partibus non dicatur. Dicuntur sane multa de toto, quae de nulla parte dici queunt. Ita homo dicitur animal, & tamen nulla pars hominis animal est. Ita & enuntiatio dicitur vera vel falsa, & tamen neque subjectum, neque predicatum verum vel falsum dici potest, cum veritas & falsitas solius enunciationis sit affectio.

VIII.

Propositio falsa est vera propositio. Alias namque non esset propositio.

Pro-

I X.

*Propositio falsa non est vera. Implicat enim contradictionem.*

X.

*Asserunt quidam, Patrem in divinis esse Principium Filij, negant tamē Filium esse principiatum. Idem Patrem dicunt esse filio priorem, sed Filium patre posteriorem esse negant. Sed absurde. Cum enim principium & principiatum, prius item & posterius sint relata, nihil potest esse principium alterius, nisi illud alterum sit principiatum, neque potest aliquid esse prius altero, nisi alterum illud sit posterius. Aut igitur utrumq; dicendum, nempe & Patrem principium Filij & Filium principiatum, Patrem item esse priorem Filio, & Filium Patre posteriorem, aut neutrum asserendum est.*

XI.

*Argumentatio sophistica est: Omnis essentia divina est Pater. Filius est essentia divina. E. filius est Pater. Petri Fonseca responsio hac est: Medius terminus, inquit, quo in sensu major propositio conceditur, non distribuitur complete & perfecte. Quanquam enim accipitur pro omni essentia divina, quæ una tantum, atque adeo maxime una est, tamen non accipitur pro omni re, quæ est essentia divina. Nam si hoc modo acciperetur (ac si apertius dictū esset, omne quod est essentia divina est pater) à nemine propositio concederetur, quandoquidem.*

quidem falsa esset & heretica. Nos hanc responsionem, qua & plurimum aliorum est, non admittendum esse censemus. Aliam autem meliorem in ipso disputationis actu proponemus.

XII.

Est nonnunquam in prima figura minor propositio exclusiva & infertur conclusio exclusiva. In hoc modo argumentandi infertur falsa conclusio ex veris premisis. Sit exemplum: Qui est Imperator Romanorum, ille est homo. Solus Ferdinandus est Imperator Romanorum. E. Solus Ferdinandus est homo. Quæritur autem quodnam sit vitium in hoc & aliis hujus generis syllogismis? Respondemus esse hoc, quod minor propositio est negativa, id quod in prima figura parit ἀσυλλογισίαν. Notandum tamen I. minore existente exclusiva rectè inferri conclusionem exclusivam, quando terminus major & minor sunt reciproci, ut: Omne animal rationale est homo. Solum vivens est animal rationale. E. solum vivens est homo. II. notandum, minore existente exclusiva rectè inferri conclusionem absque signo exclusivo, idque vi forma. Sic ex premisis superioris positis, Qui est Imperator Romanorum est homo, Solus Ferdinandus est Imperator Romanorum, sequitur hæc conclusio: Ferdinandus est homo.

XIII.

Memini hunc syllogismum: Quicumque sunt electi sunt

sunt vocati. Pauci sunt electi. E. pauci sunt vocati, vi-  
ris eruditis facessere negotium. Cum enim viderent con-  
clusionem esse falsam & expresso sacra scriptura tex-  
tui contrariam, neque tamen vitium in forma depre-  
bendere possent, multum desudarunt & ad materiam  
respondere conati sunt. Certum tamen est, vitium in  
forma esse. Existimo & hic in minore quandam involvi  
negationem.

XIV.

Haec dua propositiones: Actiones mixtae magis sunt  
spontanea. Actiones mixtae sunt simpliciter in vita,  
quas habet Arist. 3. Eth. 1. quamvis videantur implicare  
contradictionem, non tamen implicant.

XV.

Male quidam ex recentioribus contra Arist. sta-  
tuit consultationem etiam de Fine esse propterea quod  
sape homines consultant de vita generibus. Nam vita  
genera, quando de ijs consultatio instituitur, non consi-  
derantur ut fines, sed ut media.

XVI.

Absurde quoque nonnulli ex recentioribus subjectum  
virtutum moralium statuunt esse intellectum. Neque  
Piccolom. probamus sententiam, qui subjectum ea-  
rum solum appetitum sensitivum esse asserit. Nos & ap-  
petitui sensitivo & voluntati eas inesse iudicamus.

Sub

XVII.

*Sub quinque habitibus mentis, quos Arist 6. Eth. Nicom. explicavit, non solum principales habitus, sed & instrumentales comprehendendi contra Zabar. & pluri- mos alios, qui ipsum sequuntur, asserimus.*

XVIII.

*Non omne ens est causa vel affectus.*

XIX.

*Metaphysica necessaria est non solum Theologo, sed & Jurisconsulto. Ergo culpandi illi, qui solum cre- pant conciones.*

XX.

*An semper sit disputandum in forma? A.*



VI 216

5. + 24. Juli 2:00

23 = z.

39 = t.




TA. → 22


vd 18

VD 17

04. 2007 Bd. 1







B.I.G.

Farbkarte #13

**POSITIONES**  
**MISCELLANÆ,**  
*QUAS*  
**D. T. O. M. E. A.**  
*Authoritate & permissu ve-*  
*nerandi Philosophorū*  
*Collegij*  
In inclyta Francofurtana  
**PRÆSIDE**  
**M. DANIELE**  
Stahlio, Franco, Facultatis Phi-  
losophicæ in Illustri Salana  
Adjuncto,  
27. Novemb.  
*Publico Examine*  
*subjicit*  
**DANIEL BURCHARDUS**  
Magdeburg.  
Francofurti ad Oderam.  
ANNO  
M. DC. XIX.  
literas  
**HARTMANNIANIS.**

36a

1619

19

